

fulendos præbean, & in capitale supplicium ferri obnoxii sint.

Ibid. Constitutio 6. qui elementa turbant, aut inimicos suos per manes occidunt, a feris absumuntur. Constit. 7. Quum ubique maleficia odiosa sint, qui in Imperatorio comitatu magi, arioli, in enarrandis somniis divinantes, aut Aruspices inveniuntur, torquentur; & negantes, ac facinus probantibus repugnantes, in aculeo unguis inciduntur, nullum valentes habere privilegium. Const. 8. similia sunt prohibita discere, & docere. Constit. 9. qui noverit præstigiatores aliquem, ipsumque in præstigiatura occupaverit, illum tradito: si quis vero aurigarum, aliisque quispiam contra hoc fecerit, aut clandestinis suppliciis oppresserit, ultimo supplicio afficitur. Suspicio enim est ipsum hoc tamquam inimico fecisse, aut ne ille facinoris socios publicaret. Dicit vero etiam lib. 1. Cod. t. 7. constit. 3. quod præstigiatores in diebus Paschalibus & includantur & vinciantur. Et constit. 10. ejusd. tit. quod mathematici, qui non concrematis coram Episcopo libris suis ad Orthodoxam fidem accesserint, omni civitate pellantur: Et, si in civitate aliqua fuerint deprehensi, vel ceremoniarum suarum professionem publicaverint, deportentur. *Balsam. Schol.* Const. 6. ejusd. t. & l. Cod. est t. 39. libri 60. Basilicorum caput 26. quod sic habet: qui ad nocendum hominibus, manes evocant, gladio puniuntur. Const. 7. est caput ejusd. t. & l. 27. quod ita ait: dignitatibus præditi tormentis non sunt obnoxii, nisi in crimine læsæ majestatis. Sed & si qui magi, aut qualemque divinandi artem modice profiteri deprehensi fuerint, nullo dignitatis privilegio utuntur. Etc. Constitutio 8. est caput 28. ejusdem 39. tituli, quod sic habet, ut in compendio propositum est. Const. 9. est ultimum caput t. 39. ejusdem 60. libri, quod eadem narrat. Constit. 3. t. 4. l. 1. Codicis, est caput 26. t. 17. l. 7. quod ita habet: Primo Paschali die, etiam nulla speciali Imperatoria jussione in hoc præveniente, omnes qui in carceribus sunt, absolvantur; nisi si aut sacrilegus, aut adulter,